



Q. D. B. V. 1706, 1
Disputatio Juridica Inauguralis,

DE

**PRIVILEGIIS
ABSENTIUM,**

Quam

Ex Decreto

Magnifici ICTORUM Ordinis

In Academia Erfortensi

PRO

LICENTIA,

Summos in utroque Jure Honores
& Privilegia capeffendi,

Ad d. Maji, 1706.

Publico eruditorum Examine submittit

JOACHIMUS GÜNTHERUS,
Lauba-Lufatus,

ERFORTI,

Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

VIRIS

Magnificis, Prænobilissimis, Amplis-
simis, Consultissimis atque
Prudentissimis

REIPUBLICÆ ZITTAVIENSIS,
DN. CONSULIBUS,
DN. SYNDICO,
DN. PRÆTORIBUS,
DN. SCABINIS,
DN. SENATORIBUS,
ut &
DN. SECRETARIIS.

Dominis PATRONIS atque FAUTORIBUS suis
omni venerationis ac obsequij cultu ater-
nùm prosequendis,

DISPUTATIONEM hanc INAUGURALEM

In

Devotissimæ mentis Tesseram.

Summisè offert

JOACHIMUS GÜNTHERUS, *Laubâ-Lusatius.*



I. N. D. N. I. G.

I.



Blens, ex naturali, quod nobis
præluet, dictamine, & com-
mani, quo regimur jure, dici-
tur carens. Nam vigilantibus
jura scripta sunt, iis vix

profutura, qui civitate, provinciâ, patriâ disceden-
testacitè renunciare videntur privilegiis civium
scriptis. Verùm enim verò datur adhuc aliquod
absentium privilegium, & extant leges, quæ non-
præsentium conditionem statu præsentium red-
dunt beatiorem: quod in sequentibus Divini
Numinis auxilio sum demonstraturus.

II.

Demonstrabo autem, habitâ priùs termi-

A 2

no-

norum aliquali ratione. Privilegium jus singulare est, in certâ personæ, vel causæ gratiam favoremque constitutum, veluti lex de uno homine lata; quo sensu Cicero loquitur in *Paradox. & lib. 3. de Leg.* Datur ejusmodi privilegium, uti ex jam dictis apparet, vel personæ, & dicitur personale; vel rei, ac reale audit. Nos, misâ posteriori significatione, quid in favorem personarum absentium leges constituant, saltem indagabimus.

III.

Absentium nomine quid hoc loco intelligendum sit, neminem, credo, fugit. Cùm autem in rebus & personis omne consistat juris objectum, omnisque, quam exinde derivamus, actio, quæri potest, an realis quoque detur absentia, & an hæc, vel alia certo quodam privilegio sit munienda? Absente certè res dicuntur non in sensu saltem physico, sed etiam juridicò, quando, positâ illarum substantiâ, vel materiâ, forma tamen desideratur, *arg. l. 9. ff. ad Exhib.* Ex quo rectè inferri judico, rem non saltem pro absentia haberi, quæ desideratur in rebus humanis *l. 13. §. 3. ff. de V. S.* Sed etiam si forma ejus sit sublata.

d. l.

d. l. §. 1. vel, si non forma super inducatur, quod
 specificatione, vel transfiguratione fieri solet, §.
 25. *J. de Res. Divis.* quia licet corpus, i. e. ipsa ma-
 teria maneat, nova tamen forma, quæ dat nomen
 & esse rei, nihilominus efficit, ut pro plane novâ
 res habeatur. l. 9. §. 3. *ff. ad Exhib.*

IV.

Quod dici aliàs solet de absentia rei materia-
 lis respectu sui ipsius, & respectu nostri, lubens
 mitto, cum neque hæc. neque formalis Scopum
 nostrum attingat; Ad personas multo magis
 progredior, illarum absentiam primò dividens in
 eam, quæ simpliciter, & certo saltem respectu ta-
 lis est.

V.

Simpliciter abesse dicuntur mortui, cùm in
 rebus humanis esse desierint. l. 13. *ff. de V. S.* Ex
 quo porrò sequitur, captum ab hostibus, cùm
 captivitate servus fiat §. 3. *J. de Jure Pers.* servi
 autem pro mortuis in jure Civili habeantur, l.
 209. *ff. de R. J.* etiam hoc significato absentibus an-
 numerari. Annumeratur illis pari modo qui in
 utero adhuc degit, nec in odiosis pro absente &
 nato habetur l. 231. *ff. de V. S.* Licet enim sic in re-
 rum

rum natura. *l. 26. ff. de Statu homin.* nondum tamen homo est *l. 9. §. 1. ad Leg. Falcid.* quia facile accidere potest, ut non nascatur, natusque hominis nomen vix mereatur, *l. 129. ff. de V. S.* De fictione juris verò, quæ interdum efficit, ut in favorabilibus non-nati habeantur pro jam natis, hîc non est agendi locus.

V I.

Certo respectu pro diversitate rerum, quas respicimus, & pro varietate materiae subjectæ, diversimodè quoque & infinitis ferè modis homines dicuntur absentes: Nobis notasse sufficiat, illud fieri vel propriè, quando quis, mundo adhuc relictus, à loco tamen, ubi res agitur, est remotus, *l. 3. C. de bonis, qua liberi.* Et hoc obtinet, non saltem quando quis provinciam reliquit, eam scilicet, quæ territorium lux civitatis constituit. *§. 1. J. de Usucap.* sed etiam, ubi extra urbis continentiam deprehenditur; *l. 173. §. 1. ff. de V. S.* quod observare licet in tutoris excusatione, qui absens intelligitur, si non sit in loco, in quo petitur, *l. 199. ff. de V. S.* Continentia autem appellantur & difficia urbi connexa & quasi coherentia. *l. 4. §. 4. ff. de pen. leg. sive suburbia,* quibus horrea quoque, custo-

custodiæ causa extra urbem posita, sunt annumeranda *l. 5. ff. de Procurat.*

VII.

Pro absente II. *Impropriè* habetur, qui domum equidem est, sed in procinctu, ut abeat, sarcinulasque colligat, *l. 15. §. 3. ff. ex quibus caus. major.* vel qui in eadem domo est, alit rem gestam audire, vel videre quocumque tantum modo impeditur. Quibus jure meritoque æquiparatur, qui corpore præsens est, plenaque gaudet audiendi & videndi, quæcunque gerantur, facultate, animo tamen & intellectu abest, quod cernere licet in furiosis, mente captis, & qui similibus cum his juribus utuntur, infantibus sc. summeq; ebriis. Non enim sufficit corporis præsentia, sed animus quoq; adesse oportet, ut quid agatur intelligere queamus, *arg. l. 209. ff. de V. S.* Fieri quoque non raro solet, ut corpore animoque præsens juris tamen sententiã absentium privilegiis fruatur, qui neque conventus neq; citatus ad hoc fuit, ut statim respondeat, sic e. g. à Mevio ad locum judicii confabulandi causa vocatus non tenetur respondere ad litem, sine præviã citatione à Sempronio ipsi intentatam.

II. X. A.

IIX.

Alia nunc sequitur absentia devotio. Est enim ea vel ordinaria, vel extraordinaria: Prior species, quam localem quoque nominare, nihil prohibet, cum peregrinos afficiat, hujus vix est loci, nulliusque, ut infra dicturus sum, beneficii capax. Extraordinaria vero eam denotat absentiam, quae ratione discessus à domicilio proprio causatur. Extraordinariae nomen ipsi forsitan à Juris Doctoribus ideo fuit impositum, quoniam extra naturam humanique usus ordinem esse videtur, ut proprios aliquis deserat lares, alio in loco vagabundus: Quam si quis, respectu antecedentis, personalem dicere velit, quia in hac saltem attenditur, an persona sit praesens, in illa autem, an domicilium pro praesenti possit haberi, non adeo refragabimur.

IX.

Sed nota, hanc extraordinariam absentiam, vel necessariam esse, vel voluntariam; utramque autem laudabilem, vituperabilem & indifferentem. Necessariam dicimus, quam non libera discedentium voluntas parit, sed Principis, magistratus, judicis, uno verbo, Superioris iussus producit, quam.

quamque si Reipublicæ causâ suscipiatur, laudabilem non immeritò deprædicare solemus. Reipublicæ autem cum per absentiam ita servire jubeamur, ut vel militiæ nomina demus, vel Legatorum munia obeamus; operæ pretium me facturum confido, si utramque paulò curatius exponam.

X.

Legatus nobis, ex mente Kulpifii, est minister, qui publico nomine pro expediendis negotiis, tabulis mandati commissis, sub fide quoque publicâ, jure gentium vel solo, vel civili etiam innixâ, ad alium Principem vel Rempublicam mittitur. Ministerium Legatum dixi, quòd mores hanc denominationem in omnibus ferè curiis receptam approbent, licèt superiora secula illam, per Gallos inventam, ignorent. Nomine quoque publico illum mittendum esse, addidi, cum unicè ex ratione mittendi formalis Legati differentia desumatur. Quod autem summæ potestatis aut suverénitatis vocabula hoc loco non sint expressa, ideo factum est, quoniam illos quoque optimo jure Legatos invicem mittere Principes & Status, qui accuratè loquendo, nec summâ

pollent potestate, nec extraneorum titulo possunt compelli, consuetudo testatur. Præterea satis quoque hinc discriminari puto, qui à subditis, vel provinciarum communitatibus interdum ablegantur deputati, quorum committentes, etsi inferiorum respectu quodammodo personæ publicæ dici possunt, ad Superiores tamen si considerentur, privati sunt non minus ac singuli subditi, *vid. Grot. de J. B. P. c. 4. §. 6.* adeoque nec mittendi publicam facultatem habent, nec qui ab iis delegantur, publico nomine missi dicuntur.

X I.

Egregiè autem monet Kulpifus modò laudatus, hæc tria: publicè, publico nomine, & publicâ indurum personâ mitti, non esse confundenda, ceu factum tamen deprehendimus ab *Alberic. Gentil. 1. Legat. 2.* Publicè enim mitti dicuntur, qui à Publicis quidem personis delegantur, sed sine solenni ministri publici caractere. Quod variis contingit casibus: Interdum enim ob causas subditorum apud aliam Rempublicam perorandas, procuratores mittunt Imperantes, quos censu publicorum ministrorum non comprehendi, fuit observatum in libello, *cui titulus*
Me.

Memoires touchant les Ambassadeurs p. 60. quando circa actus Regis, non regios, sed privatos, vid. *Grot. de J. B. & P. p. II. 14. 1.* ablegantur nuncii. Privati autem Principis actus dicuntur, qui non ut à Principe, sed ut à quovis alio, adeoque ex facultate naturali omnibus hominibus communi procedunt, uti sunt contrahere, & hujus generis alia. Vel etiam qui super publicis rebus mittuntur præcones, cursores, expressi, nuncii celeres, buccinatores, tympanorum pullatores, et si fortè juris gentium protectione fruuntur & digni judicentur. *Strauch. Exot. X. II. 2.*

XII.

Nescio, an his quoque annumerari debeant, qui peculiari nomine Agentes appellantur: Annumerabo verò, quoniam præsentis ævi consuetudo dubitationem non amplius admittit, omnes illos Agentibus æquiparans, qui à Principe dimittuntur, nullas verò literas credentiales, sed saltem commendatitias aut similes secum ferunt.

XIII.

Publico autem nomine missum esse, plus importat, cum præter publicam missionem, missio quoque potestatem quandam dignitatemq; illa-

illustrem imprimat, quod apud exteros, eos præsertim, ad quos mittitur, publicos eidem, ut ut diversigenis conciliet honores. Et tales sunt non solum primi ordinis legati, quos Ambassadeurs vocant, sed & secundi ordinis ablegati, Envoyes, Residentes; nisi quod soli ex his legi Ambassadeurs mittentis personam repræsentent.

XIV.

Ea vero inter Legatos primi & secundi ordinis divisio monere me videtur, ut primaria nunc Ministrorum Reipublicæ causâ absentium genera attingam. Ubi ante omnia notandum venit, malè à nonnullis confundi Legatos primi ordinis cum Plenipotentariis, cum plena quidem potestas (plein pouvoir) in causis ipsi commissis Legato competat; contra verò plenipotentarius non semper omni fruatur Legationis honore: Quod adeo verum est, ut & quibuscunque Deputatis, vel Commisariis, in aula Domini propriâ ad tractandum cum exterorum Legatis missis, iste titulus in literis potestatis tenorem exhibentibus, attribuat. Sic in Germaniâ, e. g. quis diceret Legatos, quos ad Comitia dimittunt Status Imperii semper primi ordinis esse, cum nec hanc

hanc distinctionem olim agnitam, certè vix usurpatam apud nos unquam fuisse, constet, & tamen illi non saltem à mittentibus reliquisque Statibus, sed ab ipso etiam Imperatore plenipotentiariorum nomen fortiuntur, quod non saltem quotidiano usu, sed iis imprimis, quæ in pacificatione Rysvicensi acta sunt, clarissimè demonstratum inveniunt, qui ad primaria illius capita Commentarios scripsere.

X V.

Videndum igitur, quomodo differant primi & secundi ordinis Legati: Illi aliàs Legati in specie tales, Oratores, Legati majores, Ambassadeurs dicuntur, & sunt Legati caractere repræsentatio apud alium Principem pollentes, Character autem repræsentativus jus est fruendi iisdem honoribus, quibus Dominus exciperetur, si præsens esset. Secundi ordinis Legati, qui Ablegati, Prolegati, Legati minùs solennes, vulgò Envoyés audiunt, in eo differunt à prioribus, quòd repræsentatio caractere destituti super præcedentiâ & aliis ceremoniis repræsentationi connexis non teneantur tanta industriâ contendere, ad expedienda negotia eâ de causâ magis idonei. Et

mitti solent non saltem à majore dignitate Conspicuo ad Principem, cui summum dignitatis fastigium nondum contigit, sed à pari quoque ad parem. Sic ab eo temporis momento, quò de præcedentia litigarunt, Hispaniæ & Galliæ Reges in unâ eademque aulâ nunquam, vel rarò uterque illorum uno eodemque tempore primi ordinis Legatum habuit. Provoco ad Historiam aulæ Viennensis, ceu illa fuit regnante Leopoldo I. 1671. sequentibusque annis, & ad ea, quæ cum Legato Gallico tunc temporis Viennæ degente, Mr. de Gremonville fuere acta.

XVI.

Est & alia Legatorum divisio imperio nostro admodum familiaris, quo Primarii dicuntur & Adjuncti. Quæ differentia in eo consistit, quod illi soli Dominum representent, suffragium e, us nomine ferant, Legationisque in univèrsum onera & splendorem sustinent. Hi verò non nisi consiliis & operâ primos adjuvent, eisque absentibus substituuntur. Posses dicere priores splendoris, posteriores laboris ad onera eligi. An etiam in missionibus ad externos locum inveniat, quæsitum fuit à nonnèmine, cui negando respon-

de-

dere vix dubitavit *Caletinus Fürstenerius de Jure*
supr. Pr. c. 36. Cujus sententiæ cur præfractè à no-
 bis quoque subscribendum sit, non video, cum &
 ipsos Imperatores, imprimis Ferdinandum II. i-
 dem fecisse in Legatione, quam Anno 1629. ad
 Reges Daniæ atque Angliæ destinaverat, London-
 pius testis sit. *Act. publ. Tom. I. L. 3. c. 86. 711.*

XVII.

Qui certæ rei causâ mittuntur Legati, ac ple-
 rumque brevi tempore negotium conficiunt, ex-
 traordinarii dicuntur; quibus opponimus ordina-
 rios, quibus nec brevius tempus præfixum, nec de-
 terminata causa est commissa. An nuper de-
 mum hæc vocabula Legatis apponi cœperint, an-
 noque superioris seculi quinquagesimo secundo
 primus in aula Regis Galliæ vilis fuerit extraordi-
 narius Legatus, sæpius laudatus Autor *des memo-*
res touchants les Ambassadeurs defendat. Altioris
 indaginis esse videtur ea controversiæ decisio;
 Quinam dignitate, ac præstantiâ alterum præce-
 dat; censoriâ equidem virgulâ *Kulpifus Perezium*
 notat, quòd hic in Commentationibus suis *ad*
Tit. C. de Legat. Extraordinarios longo post se in-
 tervallo relinquere ordinariorum statuatur; erroris cau-
 sam

iam exinde promanasse credit, quod ejusmodi
 scriptores, Ordinarium Legatum in univ^{er}sum
 eum denotari, arbitrati fuerint, quem hodie appel-
 lare solemus Residentem; Extraordinarium ve-
 rò primi ordinis Legatum, vel Ambasiadorem.
 Verùm enim verò cum ipse Kulpifius in paragra-
 pho antecedente dixerit: Extraordinarium læ-
 pius supervenire, quo majori cum pompâ ea, quæ
 conclusa sunt, executioni mandentur, nondum vi-
 deo, quis error exinde sit deducendus: Imprimis
 cum quotidiana testatum eant exempla, non fer-
 re magni nominis & autoritatis ministri condi-
 tionem, ut, quod fieri solet in Legato ordinario,
 per longissimum temporis spatium domò absit,
 novum quasi in aula externa domicilium sibi pa-
 rans, adeoque si negotium magni momenti con-
 ficiendum sit & componendum, conficietur ab eo
 tanquam Legato extraordinario, quem domesti-
 cæ curæ mox reducem expectare possunt. Pos-
 set hoc ut innumeris aliis, ita imprimis Regis An-
 gliæ nuperrimè mortui exemplo illustrari, qui,
 quod tenerrimo affectu nullo non tempore pro-
 sequebatur Comitem Portlandiæ, impetrare à se
 vix poterat, ut licet maxima esset in ejus fide & re-
 rum

rum gerandarum dexteritate ac fiducia, Legati ordinarii nomine illum dimitteret, sed omnia, quæ illi cum exteris intercedebant negotia, confestim & modo extraordinario expedire jubebatur. Taceo nunc, tacitum esse nonnullis deperditæ apud Principem gratiæ documentum, quando depositis, quæ domi aliàs ipsos exercebant, curis, ad aulam peregrinam abire suaque absentiam testari coguntur, quàm commodè illorum industriam carere possint Princeps & patria. Sed hæc obiter.

XVIII.

Restat, ut dicamus de Legationibus assiduis, quibus qui funguntur, Residentes appellantur, quod jubeantur etiam ultra expeditionem præsentis negotii consistere, quousque literis revertentur, & uti redeundi tempus est incertum, ita quoque indefinita sunt negotia, quibus illorum abolvitur opera, in eo potissimum consistens, ut apud externos Domini sui rationem promoveant quovis modo. Et meo quidem judicio Residens nihil aliud est, quam ablegatus ordinarius, Envoyé ordinaire; quod expressa declaratione Rex Gallicarum Anno 1660. confirmavit, ubi suis ablegatis

nis in universum eosdem planè, qui Residentibus solent, honores, nec majores exhiberi præterdit.

XIX.

Sunt hæc præcipua non tamen omnia Legatorum genera. Reliqua, & quod ad hanc materiam, præter dicta, spectare videtur, scire qui cupit, adeat autores expressè de Legatis scribentes: Jacobum Hovvelium, Franciscum Hotomannum, Stephanum Doletum, Albericum Gentilem, Hermannuû Kirchner, Friedricum Marselier, Carolum Paschaliû, Conradum Brunum, Petrum Rebuffum, Octavianum Magium, Franciscum le Vayer, Gondiscalvum de Villadiego, Johannem à Chokier, Casparum Bragacciam, Herricum Wottonum, Christophorum Varsevictum, Johannem Brunellum, Antonium de Vera, Jeremiam Setlerum, Martinum Laudensem, Anastasium Germanium, aliosque à Kulpisio in Dissertatione sua de Legationibus imperii recensitos.

XX.

Hæc de Legatis. Nunc de militibus Reipublicæ causa etiam absentibus. Dicuntur autem milites, qui legitimè Lecti, in numerum relati, &

in expeditione sunt constituti. *l. 42. ff. de Test. Milit.* Notanter dico, in expeditione esse debere constitutos, ad missos enim licet antea castra fuerint secuti, privilegium non spectat. *l. 20. pr. ff. b. t.* quod aliàs extenditur ad Consiliarios bellicos, Pastores, mercatores, chirurgos castrenses, aliosque *Struv. Exerc. 34. Thes. 4. Brunem. ad l. 16. ff. b. t.* Imò ad hodiernos milites, qui propriis sumtibus militiam sequuntur, vulgò Volonteres dictos, modò supremi ducis voluntate arma gerat, *v. Ekolt. ad Tit. ff. de Pecul. Castrens.* sed quid de militibus statuendum, qui domi bellis impliciti extra patriam hostem non inveniunt? Absentium privilegia illis denegari nullo modo posse ex eo sum persualus, quòd rebus suis superesse non possint, qui jam animum & exercitium aliò vertit. *l. 15. §. 1. ff. ex quibus causis majores.* Nec obstat, quòd qui Domi vivit, ac in patria publicorum munerum functionem subit, non abesse dicatur Reipublicæ causâ, & per consequens absentium quoque privilegii muniri vix possit. *l. 5. §. 1. b. t.* milites enim jura ignorare adeoque excusari dicuntur. *l. 22. C. de Jure deliber.*

XXI.

Huc porro pertinent Magistratus, *l. 33. §. 8. ff. d. t.* & Assesores, *l. 38. ff. d. t.* qui testimonii ferendi causâ misi sunt, *l. 26. §. fin. d. t.* Etiam ii, qui mittuntur ad extirpandos homines facinorosos, iisque provinciam purgandam, *d. l. 35. §. 5. d. t.* Nullo tamen modo fieri potest, ut hæc extendantur ad munera publica, queis in ipsa civitate suâ quis fungitur. Præsentes enim in civitate facile possunt efficere, quo minus in fraudem & incommodum illorum aliquid fiat. *l. milites. 7. ff. d. t.*

XXII.

Sequitur nunc absentia, quæ dicitur *vituperabilis*, non privilegio & favore, sed pœnâ odioque prosequenda. Efficiteam I. *declaratio in bannum*, quæ si ab Imperatore consensu Statuum sit facta, omnia juris communis beneficia aufert, infamem reddens bannitum, ut ejus testimonium in Imperio nostro nullibi audiatur, omniumque offensionum iste exponatur. Dantur aliàs diversa banni genera, quorum, ubi & bonorum & personarum libera ubique conceditur offensio, *superius bannum* dicitur, die *Oberacht*; Cui cum no-
vis-

villime subjectus fuerit quondam Elector bava-
riae, sententiam ejus in aula. Caesarea. latam. hic le-
gisse juvabit.

Hierumb erkenen Wir hiermit/erklären un-
verkündigen. Ihn Maximilian Em-
manuel/ bisherigen Churfürsten und Herzog-
gen von Bayern/ Pfalz-Graffen beyrn
Rhein/Land-Graffen zu Leuchtenberg/ in Un-
sere und des Heil. Römischen Reichs Acht/
und Oberacht/ auch alle diejenige Strassen
und Pönen/ so dergleichen Erkenn-Erklär- und
Verkündigungen/ von Rechts und Gewohn-
heit wegen/ in sich begriffen oder nach sich zie-
hen/ mit der That gefallen zu seyn. Entsetzen
damit/erklären und verkündigen Ihn für ent-
setzt und verlustigt aller von Uns und dem
Reich habenden oder gehabtten Gnade/ Frey-
heiten/ Rechten/ Regalien/ Ehren/ Aemtern/
Titulen/ Lehen/ Eigenthümber/ Anwartungen/
Ländern/ Güter/ Leuten und Unterthanen/ wie
oder wo die seyn. : Erlauben auch seinen des
Maximilian Emmanuel/ gewesenem
Churfürstens und Herzogen von Bayern/
C 3 Pfalz-

Pfalz-Graffen beyrn Rhein / Land-Graffen
 zu Leuchtenberg Leib Jedermänniglichen / der
 gestalt / daß an demselben / als der aus Unserm /
 und des Reichs-Frieden und Schus in den
 Unfrieden und Unsicherheit gesetzet ist / oder sich
 selbst gesetzet hat / Niemand frevelen / oder sich
 vergreiffen möge. Verboten Allen und Je-
 den des Reichs Angehörigen / was Stands o-
 der Wesens die seyn / mit Ihm sörters einige
 Gemeinschaft zu haben / ihn zu enthalten / zu-
 hausen / zu herbergen / zu äßen / zu träncken / oder
 in einige Weise fürzuschieben ; Ihm ichtwas
 zu leisten / an Ihn gelangen zu lassen / oder von
 Ihm an / oder sonst in Schus oder Schirm zu-
 nehmen. Gebieten nachmahlen seinen vor-
 herigen Lehn-Leuten / Landtsassen / Bedienten /
 Unterthanen und Angehörigen / Geist- und
 Weltlichen nicht weiters auf Ihn zu sehen / o-
 der von Ihm / seinetwegen / oder denen Seini-
 gen / wer die seyn / einigen Befehl zu empfan-
 gen / viel minder demselben zu folgen / sondern al-
 lein auf Uns und die Jenigen / an welche Wir
 Sie schon gewiesen haben / oder nach der künfft-
 tigen Zeiten Gelegenheit weisen werden / zu
 ach-

achten und Uns zu gehorchen. Wiederholen
 ins besonder an Alle und Jede/der Ihm noch
 anhangenden Kriegs-Befehlhaberen und Ge-
 meinen/Unsere erlassene Avocatoria das letzte
 mahl/das Sie sich von Ihm und anderen Un-
 sern Feinden stracks abthun/ und zu Uns wen-
 den/nicht aber zu seiner/ oder seines Anhangs
 vertheidigen oder in Angreifen gegen Uns/
 das Reich/ dessen getrene Stände/ oder Unsere
 und Ihr Angehörige/sondern in Gegentheit
 wieder Ihn und seinen Anhang gebrauchen
 lassen/Ihn und Sie zu verfolgen und Ihnen zu
 Schaden allen Fleiß fürkehren/ und dadurch
 Unsere Gnade und Milde wiederum erwerben
 sollen. Entbinden alle die jenige/welche Ihm
 einiger Massen verwandt/ oder verbunden ge-
 wesen und noch verwandt oder verbunden zu
 seyn glauben möchten/ aller Huldigung/
 Pflicht / Schuldigkeit / Verschreibung/
 Verständniß und Verknüpfung/ wasser-
 ley die seyn/ oder wie dieselbe lauten mö-
 gen/ als die seyt seines vor gehabtten Fried-
 Bruchs und Majestät Verletzung/ unkräftig
 und ungültig worden/ dafür auch erkläret und
 ver-

verkündiget werden / noch jemangen binden
 können / oder sollen. Ordnen / daß alle und je-
 de Unsere und des Reichs Verwandte und An-
 gehörige in dieselbe Acht und Ober-Acht / wie
 auch der Geistlichen Privation und alle andere
 in denen Reichs-Satzungen / oder von uns
 ausgetruckte Straffen ebenmäßig mit der
 That fallen / auch von nun an für gefallen er-
 kandt / erkläret und verkündiget geachtet / die ü-
 brige Ihm Untergebene auch auf den Betret-
 tungs Fall an Leib und Leben nach aller
 Schärffe gestrafft werden sollen / welche diesen
 Unseren Erkäntnissen / Erklärungen / Entledi-
 gungen / Bahrungen / Befehlen / Gebotten /
 einiger Massen zu wieder thun / oder nicht voll-
 kömmentlich nach kommen und geleben. Se-
 tzen endlich hindan und heben auff alle und je-
 gliche Gnaden / Privilegien / Freyheiten / Her-
 kommen und Gebräuche / von Uns oder Unse-
 ren Vorfahren am Reich / oder Andern hie-
 vor ausgangen / erlanget oder bekräftiget / die
 in einige Weise hierwieder seyn / oder angezo-
 gen werden möchten / mit was Worten / oder
 Meynungen die verfasst oder verwahret wä-
 ren:

ren: Ernstlich wollende / daß deren keine Je-
manden/ was Würdens/ Stands oder Be-
sens der sey/von allen diesen unseren Verord-
nungen oder deren einer ausnehmen/darwider
schützen/oder verantworten solle/ oder könne in
keine wege. Alles von Römischer Käyserl.
Macht in krafft dieses offenen Brieffs / dar-
nach sich jedermänniglich zu richten / und für
Schaden und Verderben zu hüten hat.

XXIII

Est & alia banni divisio, in illud, quod ab
Imperatore, & aliud, quod à Statibus Imperii de-
cernitur. Cui annecti solet quaestio, an in priori so-
la sufficiat Imperatoris voluntas, vel in simul quo-
que Statuum approbatio requiratur; de qua, in
causa Platina anno superioris seculi vigesimo ter-
tio acerrimo animorum motu fuit disputa-
tum; sed neque de his, neque de aliis ad dictam ma-
teriam pertinentibus hic dicere vacat.

XXIV.

Absentiam vituperabilem efficit 2. *Excom-
municatio*, non minor, quàm quis à sacramentorum
participatione excluditur, sed major, quàm à com-
mu-

D

mu-

munione fidelium, omnique actu legitimo hominem separat, alioque nomine anathema dicitur *c. ad mensam. 24. §. aliquando. caus. 11. q. 3.* Tali modo excommunicatus in iudicio stare non potest; nisi reus, ne de malitiâ sua commodum reportare videatur, *c. Intelleximus. 7. X. de Judic.* Cui non immeritò annumeramus *3. Transfugam*, qui mala consilia & proditoris animo patriam reliquit, *l. 19. §. 4. ff. de capt. & postlim. revers.* uti etiam transfuga dicitur, qui per induciarum tempus ad eos, quorum fide datâ non suscipitur, transfugit. Non obstat: quod transfuga, qualis etiam ille sit, spontè, non coactè absens esse, adeoque ad eam, de quâ nunc agimus, absentiam nullo modo spectare videatur; quod enim ab initio erat voluntatis, postmodum fit necessitatis, & abesse omninò jubetur, qui fractæ fidei pœnas luere recusat. Nec aliud dicendum est *4. de Relegato.* cui contra damnum, quod durante relegatione passus est, restitutionis remedium vix datur, licèt bona retineat, nisi procuratorem vel non invenire, vel à relicto defendi non potuerit, *l. 26. §. 1. ff. ex quibus causis.*

XXV.

Tertia absentiaë necessariaë species nunc explican-

canda venit, quæ dicitur *indifferens*, nec laudabilis nec viduperabilis, quoniam non ob publicam Civitatis, vel Principis utilitatem, nec ob pœnam delicto dictam, sed aliam ob causam illam ipsam quis sustinet; e.g. si quis à privato incarceratus (de publicâ enim incarceratione & justâ aliud dicendum) detineatur, vel iusti metus causâ sit absens, vel litem suam alio in loco prosequatur; vel adversâ tandem valetudine impeditus revertendi animum induere nequeat.

XXVI.

Hæc de absentia necessaria dixisse sufficiat. Brevissimis nunc quoque illam attingam, quæ huic opposita, *Voluntaria* nuncupatur. Est illa iterum vel *laudabilis*, cui primo loco eos adscribo, qui studiorum causâ peregrinantur, cum iustissimam absentia causam semper allegare queant, l. 28. ff. ex quibus caus. maj. Quod an fieri possit ab iis, qui voti alicujus implendi, vel devotio- nis peragenda gratiâ iter (germ. *Wallfarth*) susceperunt, nemo quidem Romanorum lacris addictus dubitabit; dubitabunt verò ex nostratibus omnes, quorum argumenta, cum nemini sint incognita, ea propter absentia quoque illorum ju-
 D 2 ris

his beneficia non meretur. 2. *Vituperabilis* encomiō insignitur illa, quando scilicet otii, vel voluptatis causa, quæ pœnam magis, quàm privilegium merere videtur, quis abest, vel quando ex contumaciâ domicilium cum alio loco commutatur. Hanc 3. excipit *Indifferens* ex mercatura producta, quæ eatenus privilegio digna, quatenus lucri causâ alibi degens invenire non potuit, curi rerum suarum cura committeretur. l. 36. ff. ex quibus causis majore.

XXVII.

Jam ad Privilegia. Agit de illis maximam partem totus Titulus sæpius à me allegatus ff. ex quibus causis majores 25. annis restit. Restitutio enim in genere omnibus competit, qui allegare possunt absentia causas necessarias, vel laudabiles, vel voluntarias ita comparatas, ut procuratorem interim habere vix potuerint. Melioris ad huc conditionis sunt milites, quibus non tantum domi nulla currit præscriptio, sed in expeditione quoq; iis permillum est testamenta condere, susq; deque habitâ omni solennitate, quam juris civilis rigor aliàs requirit, vid. t. t. f. de Testamento Militis. Hi autem qui absunt nomine municipiorum, col-

collegiorum, universitatum, castrorum, pagorum
& terrarum, quæ per certos administratores re-
guntur, & aliquam jurisdictionis speciem exer-
cent atque de causis civilibus jus dicunt, quamvis
ex illa parte Edicti, quâ absentes Reipublicæ cau-
sa ^{na} ^{et} ⁱⁿ ^{vocati}, non restituantur, subveni-
tur tamen illis ex æquitate, quæ continetur sub
clausula generali, Edicto Prætoris adjectâ *vid.*
Trentacing. lib. 2. Resol. de Restit. in Integr.

XXVIII.

An indistinctè omnia, quæ milites, dum rei-
publicæ causâ absunt, ab hostibus capiunt, singu-
lis cedant, an quædam Populo, Duci, Principi, aut
ei, cujus auspiciis bellum geritur, difficultate non
caret: Prius rationem habet in §. 17. *J. de Rer. Di-
vis.* Posterius in l. 20. §. 1. *de captiv. Et posth. revers.*
Hæc, ut componant Interpretes, variè se torquent.
Vinnius in *Comment. ad d. §. 17.* cum Grotio de *J.
B. Et P. 3. O. l. 10.* rem distinguendo expedit, scilicet, in-
ter actus belli verè publicos, & inter actus priva-
tos; quæ belli publici occasione acquiruntur, ce-
dunt Populo; per hos autem primò ac directè pri-
vatis; hodiè verò passim sic usurpatur, ut in dire-
ptionibus oppidorum & præliis quisque suum



faciat, quod cepit; in ex cursibus verò capta omnia
 fiant eorum, qui in comitatu sunt, inter ipsos pro
 dignitatis ratione partienda, *Vinnius l.c.* Quibus
 alii distinctionem inter res captas addunt: Tor-
 menta enim bellica, homines, urbes & id generis
 alia illi duntaxat obvenire, cujus auspiciis & stipen-
 diis bellum geritur, in vulgus quoque notum esse,
 arbitror.

XXIX.

Legatorum Privilegia illorum personas con-
 cernunt, res & actiones. In personis spectatur se-
 curitas, existimatio, & immunitas. Securitas di-
 citur aliquando *Salvus Conductus*, seu salvagar-
 dia, de quorum differentia vid. *Menoch. Consil. 99.*
num. 26. Confertur hæc securitas vel ex Lege vel ex
 tacita conventionione. *Ruland. de Commissa. p. 1. l. 8.*
cap. 8. n. 5. & non tantum ab eo, cui Regalia compe-
 tunt, sed à quovis Judice, ardua explicandi pote-
 statem habente. *Decian. vol. 3. Consil. 96.* Existima-
 tio in eo consistit, ut absens Reipublicæ causâ di-
 gnitate non saltem propriæ personæ gaudeat, sed
 & Eum à quo mittitur, repræsentet, ejusdemque
 honore reputetur, quæ omnia, propriè loquendo,
 non sunt hujus loci. Immunitas quæ Reipubli-
 cæ

cæ causâ absentibus conceditur, liberat eos ab omnibus cæteris personalibus oneribus, non tantùm dum absunt, sed quandoque biennio, postquam abesse desierunt, *l. 8. §. 1. de Legat.* sic tutelam succipere nullo modo coguntur, imò cùm cæteri, qui propter solum officium, aut magistratum exculantur, susceptam tamen tutelam non deponant, Legatus tamen, quamdiu Reipublicæ causâ absens est, dato interim curatore, à susceptâ quoque liberatur, *§. 2. ff. de excus. Tut.*

XXX.

Jus rerum quod attinet in genere, spectatur illud in acquisitione, conseruatione & amissione. Acquirendi res cùm & jure naturali & civili varii sint modi; de *Usucapione* primo loco hîc dicendum est; Reipublicæ causâ absentem rem in civitate præsentis, usucapionis beneficio acquirere posse. *l. 1. ff. de Usucap. atq; rem suâ ab aliis usucaptam vindicare. l. 8. pr. C. de Præser. 30. vel 40. ann. expeditum est Hereditatem* porrò absens & adit & acquirit *l. 26. ff. de Judic. ac, ne publico, quod sustinet, muneri subtrahatur, hæreditaria onera non statim subit, nec hæreditariis actionibus tenetur arg. l. 3. ff. qu. ex caus. in poss.*

In rebus conservandis, amittendisque sic provisum est Reipublicæ causâ absentibus, ut illis res atque jura salva intacta serventur, & passis in his damnnum restitutio detur. *l. 1. pr. Et t. ff. Et C. ex quibus caus. maj.* Hujus itaque restitutionis causa est læsio, & quidem juris *l. 1. §. 1. ff. dt. non facti l. ult. C. eodem.* quæ contingit, si quis jus acquisitum amiserit per usucapionem seu præscriptionem: cuius cursum non sinit impedimentum facti. *l. 18. C. de postm. rev.* neque juris extrinsecus adveniens, ut *ferriæ, l. 26. §. dt.* Læsi autem dicuntur quoad hanc præscriptionem, etiam si jus non acquisiverint, non tantum, qui jus acquisitum amiserunt; e. g. si legatum relictum sit ei, qui propter absentiam non potuit implere conditionem, sub quâ erat relictum, tunc restituitur *arg. l. 27. ff. eod.* modò lucrum ex damno & pœna alterius non proveniat. Debet autem illa Læsi facta esse propter absentiam. In quo ejus restitutio differt à restitutione minorum, quæ non denegatur, etiam si facilitate suâ lapsi sint. Quod in Reipublicæ causâ absentibus secus obtinent, *l. 16. ff. eod.* quos propria negligentia non juvat. Quando vero restitutio ex causa absentia

pe-

petenda, tunc fieri potest per modum actionis, vel exceptionis: Actionem quod attinet, duplex à Doctoribus proponitur remedium, rescindens & rescissorium; quod tamen à Vinnio in §. rursus *f. de action.* improbatur, unicâ tantùm actione juri Civili cognita, adjunctâ, quæ iterum vel vetus dicitur, vel nova; & quidem pro diversitate rei, sive actionis amissæ, vel realis vel personalis. Si scilicet quis jus in re amiserit, tunc fictione juris illud amisse negatur; datur igitur prior realis, sed utilis: si verò jus in re amissum, tunc actio datur rescissoria *arg. l. 28. §. 5. ff. ex quibus caus. maj.* & est actio realis, quâ is, qui propter absentiam usucapione rem suam amisit, se illius rei dominum declarari, æquè ac si res usucapta non esset, & possessorem ad ejus restitutionem condemnari, petit. Ad hæredes hæc actio quoq; transit adversus quemcunque possessorem, tam universalem, quam particularem. Personalis autem actio ex hac causa tunc obtinet, quando realis est amissa. Si lucrû amissum, nova conceditur actio *l. 18. ff. eod.* quæ institutoria vocatur, ac ratione subjecti & objecti, cum prioribus convenit. Per exceptionem quoque restitutio petitur: Si quis enim propter absentiam rem amisit, & possessionem ejus postmodum consecutus fuit, tunc agentem, qui usucepit per modum exceptionis repellere poterit, *l. 31. ff. b. t.*

XXXII.

In eo etiam conservandis rebus eorum, qui Rei publicæ causâ

E

sâ

sã absunt, prospectum est, quodd, licet in illorum bona missio ex
 primo decreto fieri possit, si non defendantur, *l. 3. ff. de Privil.
 Cred.* Salva tamen illis maneat restitutio, ut ad secundum decre-
 tum, vel venditionem procedi non possit. *l. 6. §. 1. ff. ex quib. caus. in
 poss.* neque possessio auferatur, *l. 25. ff. de Priv. Cred.* si verò ven-
 ditio facta, distingvendum, utrum facta ex naturã rei, ut in causã
 damni infecti, vel in causã noxali; & restitutione opus est *l. 15. §.
 22. de damno infecto.* An verò ex contractu & delicto, & decre-
 tum ipso jure nullum est. *d. l. 25. de Priv. Cred.* Huc etiam pertinet,
 quodd bona Reipublicã causã absentium pro pignorationibus,
 quas repressalias vocant, detineri vix possint, *Roland de Comis-
 sar. P. 4. l. 4. c. 6. num. 40.* & ipsi absentes reipublicã causã ob-
 debitum aliquod nullo in loco, licet sint non solvendo, aut de
 fugã suspecti, capi, incarcerari, vel personaliter detineri queant;
l. fin. ff. de Legat. æquum enim est, illis quoque providere, qui
 summa pro republica subeant pericula, ne, gratitudinis lege
 neglectã, in solidum excussi ad alia negotia sese conferre cogan-
 tur. *Lauterb. de Benef. Competent. th. 23.* Immunes quoque sunt
 vectigalibus & gabellis pro rebus & bonis, quæ pro usu suo
 exportant Oratores, seu Legati; *l. 8. C. de Vectigal.* cujus rationem
 in liberalitate Principis, & quod antequam Legationem expedie-
 rint, non poterat constare, an Legati essent, & quã de causã vene-
 rint, statuit Brunnem. *ad d. l. 8. C. de Vectigal.* Tenentur autem pro
 illis rebus, quas ad locum, quod vadunt, non usus sui gratiã, por-
 tant, *l. 7. C. dt. nisi aliter usus patriæ, Lex,* vel consuetudo dispo-
 nunt, *Perez. n. 4. in C. dt. de Vectigal.* Hostium Legatos indistinctè
 teneri ad Vectigalium solutionem, tradunt Glossi, & Dd. *ad d. l. 8.
 dt.* Absentibus tamen reipublicã causã etiam jura matrimonii
 facta & recta conservat jus commune, ita ut iusta & necessaria ab-
 sentia sufficiens divortij causa non sit, *vid. Nov. XXII. Carpzov.
 Jurispr. Confessor. l. 3. §. tit. Def. 58.*

Sequuntur tandem actiones, quæ vel ipso absentia tempore, vel post illud moventur: In illis consideranda personæ litigantes & iudex. De prioribus Regula: Absentes Reipublicæ causâ in iudicio esse non possunt, *l. 8. §. fin. de Legat.* Hinc neque in jus vocari, *l. 2. pr. ff. de in Jus voc.* neque cautionibus iudicio sistendi causa factis adstringi, *l. 6. h. quibus caus. in iudic. sist.* neque peremptoriè citari, *l. 5. §. ff. de re Jud.* neque accusari *l. 13. de accus.* possunt; aliàs si quid contra illos statutum fuerit, hoc illis officere ratio juris non permittit, *l. pen. C. quom. & quand. jud. profer. Sent.* Item si non provocaverint intra fatale, subvenitur; eis, ut provocare adhuc possint, *l. 7. §. ult. ff. de minor.* quanquam etiam sine restitutione, vel appellatione ipso iure muniti sint absentes reipublicæ causâ. Cæterum sententia in absentem & sine defensione existentem, qui litem non inchoavit, vel pro absente lata nil valet, *l. 6. §. 3. ff. de Confess.* Nisi 1. injuriam suam prosequuntur, vel furtum vel damnum, quod absentes reipublicæ causâ tunc, quando absunt, passisunt *l. 10. pr. ff. de Legat. 2. nisi reus velit excipere actionem & se defendere l. 32. §. 9. de Recept. arbit. 3. nisi dies actionis exeat. l. 28. §. 4. ff. de Judic. 4. nisi contrahant, aut delinquant tempore absentia, l. 24. §. 1. ff. de Judic. 5. nisi pupilli nomine instituant, aut defendant causam, l. 4. §. 1. de Legat.* Per alium autem à principio quid postulare, etiam contra rempublicam, à qua missi sunt, non prohibentur; uti nec cum amico suo prætorè gratis consilium participare *l. 2. pr. de Leget.* De eo autem, quod antea contraxerunt, vel deliquerunt, tempore absentia conveniri non possunt, quamvis eo in loco reperiantur, ubi aliàs conveniri possunt, *l. 2. §. 3. de Judic.*

XXXIV.

De actione in rem, quod ex præsentia sit possessione, dubitatum fuit olim, sed & eam denegandam sine distinctione Julianus respondit *in l. 24. §. 2. de Judic.* Et hæc adeo vera sunt, ut nec jurare debeant, *l. 35. §. ult. ff. de Jurej.* Jurisjurandi enim effectus est, ut pro

pro lite contestata habeatur. *l. 9. §. 3. h. t.* Rationem hujus privilegii exponit Ictus in *l. 24. in fin. ff. de Judic.* quæ notissima est. Exceptiones sunt in *l. 2. §. 4. & 5. cod.* Vocatur autem illud privilegium jus revocandi domum: quod olim fuit facultas quædam jure concessa, quæ conventus Romæ, quæ communis patria erat, *l. 33. ff. ad Municip.* petere poterat, ut res domum revocaretur, ac remitteretur, & competeat Legatis, iisque, qui necessariâ de causa accessit ibi commorabantur. *l. 2. §. 3. de Judic.* Hodie verò mutatâ Romani Imperii formâ hujus domicilii usus est nullus, & mediâtè Imperio subiecti neque in Judicio aulico, neque in Camera Imperiali in primâ instantia regulariter conveniri possunt, sed primùm coram judice inferiore. *Ord. Camer. Imper. p. 2. Tit. 1.* Mansit tamen adhuc hodie ipsum jus revocandi domum, absentibus reipublicæ causâ salvum; quo qui gaudent, cogendi nihilominus sunt Prætorem adire, & privilegium, quod eos ab istius jurisdictione liberat, allegare *l. 5. ff. de Judic.* ut cognoscat saltem Prætor, an sua sit Jurisdictio. Potest enim dubitari, utrum in ea quis sit causâ, ut Domum revocare possit, nec ne; ut, si forsan causâ absentia non sit certa & explorata. Verùm si constiterit, in eâ eum causâ esse, ut domum revocet, cavere debet judicio sisti, statuerente Prætor, in quem diem promittat; quod tamen de sola & nuda promissione intelligendum est, *l. 2. §. 6. ff. de Judic.*

XXXV.

Ut autem de hoc Privilegio prolixius ægam, modus hujus disputationis ferre non videtur, nec temporis angustia. Quamobrem hic subsisto; Deo ter Optimo Maximo pro concessis ad conferendam hanc dissertationem viribus gratias agens maximas, ejusq; benignitati me, studia fataq; mea devotissimè commendans. Lector, si quid ipsi occurreret non aded politum ejusq; ingenio accommodatum, mihi quoq; absentis, quæso, & à librariis subsidiis maximam partem alienato absentium concedenda esse privilegia, quæ in benigna consistunt interpretatione, cogitabit.

S. D. G.

ULB Halle

002 716 64X



3

s. b.





Q. D. B. V. 1706, 1
9 M

Disputatio Juridica Inauguralis,
DE
**PRIVILEGIIS
ABSENTIUM,**

Quam
Ex Decreto
Magnifici ICTORUM Ordinis
In Academia Erfortensi
PRO
LICENTIA,
Summos in utroque Jure Honores
& Privilegia capeffendi,

Ad d. Maji, 1706.
Publico eruditorum Examine submittit
JOACHIMUS GÜNTHERUS,
Lauba-Lufatus,

ERFORTI,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.